

Signa diagnostica sunt; vel ipsum morbum  
ejusq; essentiam detegentia; quæ ex pluribus con-  
junctis constituuntur; dicunturq; παθγνωμονικά: Vel  
causas ejus manifestantia, ἀπογνωμονικά appellata; vel  
eundem ab aliis similibus affectibus discernentia,  
διακριτικά vocitata.

χόλιον.

Signorum doctrinam ac cognitionem medico summè ne-  
cessariam esse, ac juxta utilem maximè, non est quod multis pro-  
bare conemur: res ipsa loquitur. Cum enim mediante eâ, medicus  
in morbi cognitionem perveniat, quis non videt, sine his parum  
illum proficere in curatione posse: ut taceam alias necessitatis hu-  
jus, utilitatisq; causas. Difficilem verò, ac multis obscuritatibus  
involutam juxta esse: ut non rarò conjecturalem medicinam fa-  
ciat, quis neget? & certè medicum cum primis ευσοχία præditum,  
esse oportet, feliciter hanc qui aggredi velit. Signorum verò  
plurimæ quanquam dentur differentiæ; tamen potissimæ eæ sunt,  
quæ in diagnostica, & prognostica ea discriminant, quarum utra-  
que ex essentialiter inhærentium, causarum, ac effectuum fonti-  
bus petuntur.

Παθγνωμονικά igitur i. ea cum sint; quæ affectum ipsum,  
ejusq; essentiam constituunt; ex uno verò signo rarissimè affe-  
ctum cognoscere liceat, quæ simul ac conjunctim sumpta, ea con-  
stituunt; dispiciendum. Cum v. noster affectus unam tantum me-  
lancholicorum deliriorum det speciem: COMMUNIA cum omnibus  
eij differentis meritò habebit signa. Medici verò cum sit, non tan-  
tum præsentem aliquem curare ac abigere morbum; sed & immi-  
nentem præcavere: INSTANTIS SIGNA meritò primò loco  
tradenda. Sunt vero ea. Somnus turbulentus, variis ac tetris hor-  
rendisq; somniis interruptus: cui vigiliæ succedunt: tristitia ac  
mœror præter solitum hominem invadunt; metusq; compre-  
hendit; cogitationibus nimium indulget, easq; in unâ re defixas  
habet. Et cum recensiti jam affectus, ab omnibus autoribus, ut

For.